



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem
Varia Ervditione Noviter evoluta**

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

2. Stolidia arrogantia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

luisse. Horum pedes in draconum seu serpentum volumina definebant; quod significat, nihil eos *rectum*, nihil superum aut sublime cogitasse, totius vitæ eorum gressu & processu in inferna vergente. Hæc ille. Id ipsum jam antè S. Historia de gigantibus, Terræ filijs, nihil nisi terrena cogitantibus indicavit Gen. 6. *Videns autem Deus, quod multa malitia hominum esset in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore.* Cicero quoque eos gigantibus comparat, qui Mundo providentiam seu Rectorem præesse inficiantur; nam in Catone majore ait: Quid enim est aliud, Gigantum more bellare cum Dijs, nisi naturæ repugnare? Hæc enim docet, Mentem aliquam esse supremam, quæ cuncta gubernet. Deum verò negare, est idem, ac Deum cælo pellere velle. Nempe juxta regium Psaltes, *Dixit insipiens, non est Deus.* Psal. 52. Explicat hoc Natalis Comes in Mythologia lib. 6. c. 21. Gigantes inquit, crudeles & temerarij, qui nihil honestum esse putarunt, nisi quod placuisset; vel Jovem ipsum de cælo pellere ausi sunt. Id ego nihil aliud esse crediderim, nisi væcordes homines, quibus libido & impetus animi dominatur, Deos omnes contemnere, ac pro viribus suis religionem evertere, cum religio omni temeritati & improbitati sit adversaria. Nam sine religione, & Deorum metu, nihil neque justum, neque pium, neque sanctum fieri potest. Verùm quia scelerum omnium comes est supplicium & pœna, & miseriæ (Deus enim est gravissimus flagitiorum vindex) illi non injuria ab Hercule & Pallade, & dijs cæteris profligati, acerbissimisque supplicijs addicti sunt, cum nemini esse scelerato impunè denique liceat. Ita ille contra Atheos, etiam nostri temporis Gigantes.

II. (b) Secundò dicuntur illa hominum monstra montes imposuisse montibus, & simul cum aggestis illis molibus, fulmine fuisse dejectos: quod superbis meritò contingit, quibus Deus resistit, tantòque profundius eos deprimit, quantò altius eniti conantur. Jobus cap. 26. ait: *Ecce gigantes gemunt sub aquis, & qui habitant cum eis.* Docuit hoc Diluvium, quando fluctus immanes contra vâsanos mortales insurrexerunt, & in imo sepelierunt. De quibus etiam Isaias c. 26. *Terram gigantum derrabes in ruinam.* Et Siracides c. 16. *Antiqui gigantes destructi sunt, confidentes sua virtuti.*

III. (c) Tertiò, sicut Lucifer in cælo suis cum asseclis bellum movit Deo, ita contra æternum Numen insurgunt in terra, quicumque lethifero sese crimine obstringunt; perditæ, projectique Terræ filij. Unde

F

psal.

(b) Per gigantes demonstrantur Superbi, (c) per gigantes indicantur peccatores scelesti.